



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Principia Juris Canonici : Ex Libro ... Decretalium Gregorii  
IX. Pontificis M / Antehac In Alma & Archi-Episcopali  
Benedictina Universitate Salisburgensi**

**König, Robert**

**Salisburgi, 1725**

**VD18 80460526**

Approbatio Facultatis Juridicæ. Super Lib. III. Decretal.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61800)

# APPROBATIO FACULTATIS JURIDICÆ.

*Super Lib. III. Decretal.*

**S**I nulli Sacerdotum licet canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare, *Can. nulli dist. 38.* ac non minus verum videri debet dictum hoc: nosce, quæ circa te gerenda sunt, quàm illud Sapientissimum Chilonis: nosce te ipsum; *Wesselinus in Præfat. nomognost. jur. univ.* ad hæc recurrat Juris Canonici principia, quisquis ad SS. Canonum ductum vitæ suæ rationem instituere anhelat, nec incitiâ eorum labore sustinet, quorum cognitio ad illam probè ducendam vel maxime est necessaria. *Id. ibid.* Continet ea siquidem sacra honestatis Clericalis, morumque in agendo præcepta; instillant maturam in conversando gravitatem; præscribunt congruentem in amictu & habitu modestiam, docent insontem in pactis & contractibus æqualitatem, erudiunt in debite perfolvendis horis canonicis, administratione Sacramentorum, veneratione Reliquiarum, observatione jejuniorum, ac immunitatis Ecclesiasticæ rudes, cohibent indecentem in negotia sæcularia immixtionem, detestantur avaram in pluralitatem beneficiorum irruptionem, ac denique hæc non minus omnia, quàm emergentes de iis controversias eruditione tam præcellenti ac insigni, judicio tam acuto, ordine & methodo tam eleganti, stylo tam nitido, terso, ac presso pertractant, ut mireris, sub tam exiguæ chartæ mole, tam magnificas tantarum, à dignitate, gravitate, utilitate, ac necessitate, decantatarum quæstionum dexterrimè extricatas ac explanatas latere posse decisiones, aut (quod à vero non magis abludit) tantam hinc recondi solidissimæ Jurisprudentiæ partem; Dignissima proinde sunt, quæ conformiter reliquis Decretalium libris ad votum plurimorum typis & arenæ publicæ committantur, qui cum iis divulgatis comperient, Clarissimum Dominum Authorem totum nunc opus Decretalium commentario suo veluti face lucidissima illustrasse, non poterunt (si tamen æqui & boni sunt) unâ mecum de tota hac Canonica tela felicissimè per texta eidem non plurimum applaudere ac cordicus gratulari, in hac non iliadem in nuce, sed nucleum Juris ex iliade reperturi. ita censet

*Locò Spectabilis D. Decani.*

JOANNES ANTONIUS LINDNER, J. U. D.  
Celsiss. ac Reverendiss. Principis ac Archiepiscopi Salisburgens. Consiliarius, ac in  
Aima Universitate Salisburgens. Pandectarum Professor Ordinarius.